

endum, aut experimentis rationi cōcedendum est. *Trallianus*
scarabæum vivum fulvo linteolo obvolutum & collo su-
spensum certò juvare asserit: *Franciscus Joël* pane ex urinâ
patientis pisto, & à cane ejusdem sexus, cujus est æger, de-
vorato: Alii ovo in urinâ quartanarii aliquot horas cocto,
foraminulis pertuso, & in acervo formicarū defosso, febrem
cessare affirmant. Quidam araneam nucum putaminibus
inclusam; Nonnulli lacertam viridem, aut absonos chara-
cteres collo appendant. Sunt qui non vereantur hic dicere,
Medicum pro suo genio & forti imaginatione vires influe-
re! An hoc faciat profunda intentio ægroti, an incognita
rerum sympathia? Quilibet abundet suo sensu. RIGOR
nonnunquam in progressu Febris adeo intenditur, ut homi-
nes in mediâ glacie constituti videantur, Is antevertatur in-
ungendo principio accessionis spinam dorsi, scapulas, & hypo-
chondrium sinistrum oleo rutæ cum foliis abrotani cocto,
oleo liliorum cum oleo de piperibus, unguento Martiato,

III. DIÆTA, Præcipua Curationis pars in probâ vitæ & victus
institutione sita est, Vixq; aliquid selectissima remedia proficient, ni-
si monente *Hipp. 1. Epid. 2. Æger obediens unâ cum Medico morbo*
reluctetur & convenientibus omnia desideriiis metiatur, AER itaq; sic
temperatè calidus, & humidus, vitetur crassus, nebulosus, palustris,
aut ventis australibus agitat. CIBUS habeat omnes bonitatis notas,
non sit varius nec multus: In primigeniâ Quartanâ morbi initio te-
nuior; Crassior & liberalior in subsequatâ alium affectum. Condiatur
humectantibus, & parum calefacientibus, ac extenuantibus, borragi-
ne, buglossâ, cichorio, fœniculo, petroselino, capparibus, croco, cin-
namomo. Si lenta & viscida pituita abundet, modico pipere, synapi,
nasturtio. Sumatur longè ante accessionem, nisi valdè calida & sicca
constitutio acrimoniam humorum ita exasperet, ut sub ipso horrore
ingerere cogamur, hortante *Gal. 1. 11. meth. med. c. ult. quo e-*
lati ab acri excremento mordentes fumi, cibi & potionis dulci halitu
mitiores & cutis mollior, reddantur. Nonnunquam indulgendum est
ægroti appetitui, quamvis aliquid difficillimæ cōcoctionis, pravi ali-
menti, & tardæ distributionis exambiat, sit enim, ut cupida Natura
facultates excitet ad fortiorem actionem, atq; insurgens viscerū Vir-
tus amotis obstruendis avidissimè illud arripiat. POTUS sit vinum te-
nue, cerevisia defecata, infusis carduob. borragine, lingvâ cervinâ, abs-
synthio. Aut coquantur similes herbæ in sero caprino, aquâ hordei,
SOMNUS capiatur moderatè, cōcilietur in declinatione paroxysmi.
EXERCITIA ante cibum instituantur, si mitior febris sit, fortiora,
præsertim diebus intermediis; Viribus non permittentibus frictio-
nes teneant horum vicem. ANIMI AFFECTUS serventur tranquillissimi
Etsi ab irâ, aut subita aliquâ consternatione Febris hæc aliquan-
do excussa sit, ALVUS semper aperta retineatur,